

D E
VERA NOBILITATE,
Et
LITTERARVM DIGNITATE:

Ad
JOAN. GOTHARDVM A TISEN-
HAVSEN, *Eq. Liouonum.*

SALOMON FRENCELIUS
à Fridenthal.



R I G Æ,
Typis NICOLAI MOLLINI,
Anno salutis recuperata,

clō. lō. xcix.



Magnifico & generoso Domino
IOANNI GOTHARDO A TISEN-
hausen, S. R. Mat^{is}. Aulico, hæred. in Vlsen, Sa-
lis, & Nabben, Dn. & Amico
pl. obseruando


SALOMON FRENCELIUS

S. P. D.

Avdio non sine ingenti voluptate, constan-
tem te esse in proposito: quo nomine multum
sanè dubito; tibi ne magis, præstantissime
Iuuenum, an Patriæ tuæ gratulari debeam? Suscita-
sti enim bonis omnibus spem de te haudquaquam vul-
garem. Et per se Constantia in rebus omnibus, tam
diuinis, quam humanis, luculentissima est erecti atq;
ingenui animi nota, summamq; laudem à Mortali-
bus, à DEO verò fructus sempiternos consequitur.
Ego quidem pro eo, quo complecti te cepi, amore, fa-
cere non possum, quin in hoc præclaro peragrande
nobilissima Italia Instituto, faustis ominibus te prose-
quar, measque puellulas, quas scito tui unice amantes
atq; obseruantes esse, Comites tibi addam facundas.
Amplectere igitur obuias, & Propempticon ipsarum,

equi boniq; consule. Equidem fateor, non omnino
illud ad gustum esse meum. qui igitur aliorum palato
placeat? vis causam? primum agnosces, tenuia in
me esse omnia. deinde ipse intelligis, quot quantisque
curis in exstruendo inclitorum Rigenſium noſtrorum
Ædificio Scholaſtico, non illo, quod parietibus con-
textitur, in hoc tempore, & moleſtiſſimo principio di-
ſtinear. Urſit tamen amor tui, inſtigante generoſo
HILCHENIO, Amico noſtro communi: qui amor
incredibilem Inſtitutorum meorum moleſtiam tan-
dem vicit. Quicquid eſt, cum omnibus placere non
velim, hunc tamen ingenii debiliſſis fœtum, apud po-
ſteros etiam (ſi hæc minuta quidquam genii habi-
tura ſunt) mea de Virtute tuâ opinionis teſtificatio-
nem extare opto. Dignus enim es, quem omnes Boni
norint, & ament. Quod optem tibi, ſatis eſt: neq;
hic repetenda, qua in carmine leges, niſi ut in omni
vitâ bono exemplo Ordini tuo præluceat, & tum
DEO, tum Bonis omnibus, tui ſemper ſimilis, fidem
probare tuam etiam atque etiam pergas. Vale ge-
neroſiſſime, Tſenhuſi. Riga V. Eid.

VIII. bium Anno ſal. humana
milles. vndeſexcente-
ſimo.



PRO.



PROPEMPTICON.

ET meritò in voces hominum, atq; obiur-
gia vulgi

Incurrit, poſitis cepit qui ex ordine muris
Ædificare domum, iam fundamta locauit,
Iam molem eduxit, calcem, cæmentaque, coctos
Et lateres, ſectasque trabes, frontataque ſaxa
In promptu prædiues habet: nec protenus inſtat,
Nulla pauimenta inducit, penetralia nulla
Contignat, nec recta ſtruit, nec culmina figit:
Sed pendens abrumpit opus. Quo nomine culpam
Prætexet Iuuenum quiſquam, qui prima per artes
Tentamenta bonas pepigit, fundamina iecit
Non leuia, inſtructus neruis, viridique iuuentâ,
His tamen haud quidquã crescente ſuperſtruit æuo,
Deſiſtit cepto, & ſeſe defraudat honore?

Te doctrinarum, IANE, à primoribus annis
Vſit amor: ſua te venientem in caſtra ſuâui
Amplexu excepit Pallas: Muſæ oſcula labris
Mitia libarunt primis: prece dignus Apollo
Vltro porrexerit dextram: tutum obtulit vltro
Hospitium: Charites iunctæ bene-olentibus vlnis
Iura redegerunt te ſub tua, plena fauoris.

A 3

His

His igitur placuit tibi, fortunáte G O T H A R D E,
Vestibulum ante ipsum contermina iungere tecta.

Hinc sacra Teutoniæ penetrare Lycea voluptas
Prima fuit. mirata tuas est inclita dotes
Ad Viadri spumans Academia consita littus,
Ex quâ diuino ingenio, & summâ arte P E L A R G V S
Supra hominem se penè ferens, mediamq; Iuuentam,
Christiadum Scriptis implet viuacibus Orbem.
Altera cura fuit G A L L O R V M mœnia, rura,
Pulpita sectari: nec tantùm intendere mentem
Artibus: egregio sed & ipsum fingere corpus
Ornatu morum: nec solùm incumbere Musis:
Ludicra quin etiam tentare pericula Martis:
Impigra sudanti membra exercere palæstrâ:
Scandere Equû scité, & gressus glomerare superbos,
Atque alia amplecti, genium spondentibus orsis,
Nomine digna tuo studia, & iuuenilibus annis.

Ingenii hæc structura tui: hæc fundamenta: robur
Fixisti hoc primum. quæ te nunc curâ remordet?
Rumpendumne opus est, primoq; in limine standû?
Non ita; feruet opus, nullo monitore quod orsus
Continuare paras: fixa est tibi meta laborum:
Huc cursum intendis: nec eges calcaribus vllis.

At te nonne pudet mentem submittere Musis?
An nescis, frugalis heri Nutricula diues

Iam

Iamdudum aspiciat quàm te Rhamnusia vultu
Clementi? nunquid te obliuio cepit, equestri
Esse loco natum? nunquid T I S E N H V S I A clarum
Non tibi stirps ortum dedit, à tot cognita seclis,
Sanguinis ô fecunda boni, Genitrixq; Virorum,
Ante alios quos fama canit, Liuaniaque omnis
Suspicit; atq; adeo quorum splendore coruscat
Arctoi latus omne Soli? nec Teutonibus ora
Ignorat, quantum valeat Tisenhusia virtus.
Tu verò terrarum omnes circumspice tractus:
Hei quanta inuenies examina I A N E, cohortes
Quantas Nobilium, quibus impallescere chartis,
Et doctos versare libros, quasi turpe videtur
Seruitium! videas, si quando ad prælia ventum est
Bacchica, quàm tetrâ fronte auersentur eadem
Gente suâ natos, aliquod qui tempus in altis
Contriuere Scholis: hic Baccalaureus audit,
Ille salutarur Librarius: iste Magister,
Hic Scriba, atq; adeo macula est, quicumq; latinis
Venari didicit, vel bella capeffere, siluis.

O Centaurorum genus! ite crepantibus armis,
Ite foràs tacitis: nec Marte, nec arte valetis.
In dextrâ Bacchus vobis, in pectore Cypris,
In linguâ Mauors sedet, imo in corpore luxus,
Vos, aio, quicumque bonas contemnitis artes.

Exce-

Exceptos volumus reliquos; quos excipit ipse
Virtutis genuinus amor: nam pectora TANTVM
Nobilia his. dic, quem calidis obsonia fumis
Nutricant? solis inuitamenta ministrant
Naribus: antiquæ nullum sic gentis origo
Maiorumq; iuuat splendor: virtutis auitæ
Admonet, obque oculos saltem vestigia ponit.
Non ille acer Equus, qui scuta nitentia gestat,
Ostrum, aurumq;, iubas & fulua monilia cuius
Colla premunt: acuit sed quem generosa animi vis:
Nec fortem preciosa virum facit vlla suppellex:
Excellens Natura facit; sunt cætera fumus.

Ergo NOBILITAS, ALIVD NIL, VNICA VIRTVS?
Sola parens Virtus. sed quæ via ducit ad illam?
Cernis, vt ante vrbes sint structa suburbia, cernis
Vestibula ante fores domuum? non secius ante
Atria VIRTVTIS regalia simplice cultu
Tecta nouenarum stant conspicienda Sororum,
Egregiisque aliis habitacula, xysta, theatra
Facta exercitiis: REGINÆ his itur ad Arcem.

Huius ad accessum te mens generosa, GOTHARDE,
Extimulat. malunt multi hac ætate VIDERI
Pars bona Nobiliū, quàm re, quàm moribus ESSE.
Tu contra: perge ergo viam percurrere ceptam.
Vix rerum Natura parens præstantius audet

Osten-

Ostentare decus, quàm nobiliore creatum
Stirpè virum, Virtus sua quem sub regna subegit,
Pellexitque simul sua sub tentoria Pallas.
Conueniant Equites inter conuiuia bini:
Alter, Castalio qui proluit ora liquore,
Alter, Castalidum qui fastidiuit amorem,
De variis rebus placido sermone trahatur
Tempus, & vtrumq; efficiant bona vina disertum;
Prò hominum Diuūmq; fidem, discrimine quanto
Auditor feriet mentemque, auresq;, oculosque!

Vos ô Nobilium meliores, aurea Mundi
Lumina, sacrato quos non pudor improbus antro
Pieridum abstraxit: sed eò quos ducere iuuat
Progeniem vestram: tanto rem nomine dignam
Tentastis! sic non studiis ignobilis otī
Euehitis vestrum genus: hæc decora alta, columnæ,
Hæc tabulæ, vestra que faces! bellacibus olim
Romanis fuit idem animus, studiumq;, Mineruæ
Sectari placidæ, rabidi simul horrida Martis
Castra: hæc cura illis, hæc laus fuit vna: negarunt
Ex sese genitos, quos luxus, & ocia fædo
Detinuere situ, patriæ sub mœnibus ipsis.
Vos eadem accendat cura, atq; idem excidet ardor:
Sic ignominiam mox conculcabit omniem
Cyclopum; extremum qui Nobilitatis honorem

B

In

In Cerere, & Cerà ponunt, virtutis egentes.

At tu maiori, T I S E N H V S I clare, feréris
Laude per ora virum, iam pridem inuadere cepto
Plus aliquid quòd mens, primo haud contèta labore,
Sic te agitat, neq; das tot dissuasoribus aures,
Nam sunt (hæc intus versantur murmura) quorum
Iudicio studiis satis & satis vsque locaris
Sumtum & ætatis: tibi caro à Patre beati
Ruris opes, fundos, & tecta, laresque relictos:
Horum nunc tandem tibi iustâ incumbere curam.

Quid tu? purpureæ miseret te, I A N E, Iuuentæ:
Hanc ais, haud æquum curâ imprægnare voraci
Ante diem: nimium fore tempestiua deinceps
Hæc onera, hos æstus, hæc anxia regna penatum.
Maior ab auspiciis rerum tibi nascitur ordo:
Ingenii hinc potior cultura virentibus annis
Culturâ agrorum haud stultâ tibi mente videtur.

Sed tamen & posses inter tua rura morari,
Et simul Aoniis spaciari lentus in vmbriis:
Quid longinquam igitur te cogat adire Corinthum?
Pugna quidem tradit documenta vmbraç, vsu
Monstrat: at hostilis dextramq; animumq; virilem.
Arguit: haud aliter teneræ priuata Iuuentæ
Frugem aliq; studia aduectant; sed publica messem:
Muti omnes Libri: vox V I V A tenaciùs hæret.

Perge

Perge igitur: nam te non tantum arrepta cupido
Discendi raptat: sed vis heroica mentis
Incitat, vt plures visas feliciter Vrbes,
Atq; animos tibi concilies V I R T V T E potentum
Italix Procerum, quibus integritate probari,
Laus ea laus demum est: vnde experientia gressus
Firmabit, toto quos cursu feceris æui:
Digna animo excelso tentamina: perge Gotharde,
Inuenies tandem, quod rectâ indagine quæris.

Musas, Numina amas, quas primâ ob origine Mû-
Tot rerum Domini, tot Reges, totq; Monarchæ (di
Complexu fouere suo: quarum vberè cultu
Nobilitas vulgata suæ præconia famæ
Non minus extendit, bello quàm fortibus ausis:
Nulla ministerio quarum sine deniq; regna,
Nullæ vrbes, nullæ possunt consistere vires.
Immensâ illarum pietas! alimenta ministrant
Grata Iuuentuti, delectamenta Senectæ,
Fortunæ angustis superaddunt rebus honorem,
Perfugium angustis simul & solatia præbent.
Esto domi. parient tibi gaudia mille petenti:
Esto foris: non te impediunt: per saxa, per ignes
Carpe viam: quacunq; ieris regione, sequentur:
Rus cole: tecum operas capient, tecumq; quietem.

Quid? quòd & illarum Maiestas tanta, feroces

B 2

Vt

Vt mollire animos aufiat, rudibusq; tremorem
Incutiant. vis est Crocodilo nescia vinci;
Exiguam, frondosa colit quæ Tentyra, gentem
Ille reformidat tamen, ad vocemque pauescit:
Sic quamuis multos furiosâ mente Tyranni
Despiciunt, calamos tamen atque inuicta verentur
Doctorû monumenta hominû. viden' ergo, G O T-
Esse heroinis etiam victricia Musis (HARDE,
Arma, animos, vires: his te in tua collige scuta:
Num tibi fit tali quidquam munimine maius?

Quare propositum conatibus acribus vrge
O Iuuenis formose tuum! prælustre palatiûm
Condere cepisti! stant fundamenta tenaci
Fixa solo: surgit moles: patet area: laudat
Inceptum Spectator opus, fastigique optat
Cernere summa domus. Tu custos diuitis horti es:
Hunc cole: fœcundis vernat tibi solibus ætas,
Fertilis ingenii vbertas supereminet: ardet
Natura: in promptu sumtus, in corpore vires:
Hæc tua calx, lateres, tigni, cæmenta, trabesque!

Iamq; operi vt tandem summâ superaddere possis
I A N E manum; Superis ductoribus, auspice Christo,
Ingrediate viam: petitur tibi Gloria mundi
Italia, ipse cui non Ganges pulcer, amœnæ
Vel syluz Medorum, auro vel turpidus Hermus

Cedat

Cedat diuitiis: non Bactra, nec Indus, arenis
Thuriferis nec tota nitens Panchaia: lætum
Ver vbi perpetuò, bis pomis utilis arbor,
Et grauidæ fruges, oleæque, armenta; læta,
Et, quæ nobilitant inprimis munera gentem,
Floret vbi Charitum Schola, florent ipsaque tempe
Musarum, & Sophiæ distincta palatia splendent
Multijugæ: ingenuis vbi pandit limina Virtus,
Degeneres contraque capit lernæa vorago,
Dux R A T I O haud malefida viâ tibi munit, & vrget
Maturare gradum: perge, haud te frigora lædant,
Subsidat Boreas, venti sileantque niuales.
Sed quid, tempestas si sæuior ingruat? audax
I contra: Comitum satis est tibi I A N E: sequuntur
Et te præcedunt Diuæ: facundus amœnum
Ducit Apollo chorum, prior & vestigia signat.
Te blandæ Charites dextrâ, læuâque tuentur:
Has omnes D E V S Ipse suis cum catibus ambit:
Hic te (sim Vates!) opera ad maiora remittet.

Perge! tibi in Patriam reditum pia fata parabunt:
Nulla viro res est, quam non sine efferat æquo,
Suscipienda graui. medio qui tramite cursum
Ad iuga Parnasi abrumpunt, retroque feruntur,
Quid faciunt aliud, longo quàm tempore passi
Qui grauiter dextram Medici, ipso in fine doloris.

B 3

Lena

Lene cataplasma abijciunt, refricantque dolorem?
Instandum est operi, digna hæc constantia laude!
Ne te igitur pigeat, T I S E N H V S I feruide, cepti.
Possè suo gerere arma, suo quoq; tempore pennam,
Possè decenter Equum regere, & sapienter (vtrumq;
Tempore nempe suo) grauium de pondere rerum
Differere, hoc opus est! vtrumq; meretur in vno
Innumeras laudes, & corda heroica gignit.

Et tua te virtus olim inter præmia ducet:
Tu nomen, gentemq; tuam, quùm fecerit ætas
Te matura virum, longo illustrabis honore.
Dumq; alii in lucis, & post carecta latebunt,
Incumbentque mero, & pateris; aut, ocia rumpant
Nefacra, venando esurient, sitientque bibendo,
Gaudebit locium summis te adiungere rebus
Patria. quid, Regum si te quoque cura fatiget?
Iam veluti ad reliquos tibi Rex patefecit honores
Magnus iter magnum, dum te regalibus Aula
Adiunxit Sociis primùm: dein iulsit auitæ
Esse viæ comitem, nimirum in vtrumq; paratum,
Seu pati seruire, manu seu sceptrâ tueri.

Interea, præsentè D E O, tua rura manebunt:
Vbera lacte domum referent distenta capellæ:
Non æstate tibi, non frigore rustica deêrunt
Munera: prata novos flores, & gramina fundent,
Cumq;

Cumq; pedem ad patrios posthac retraxeris agrôs,
Pallentes violas tibi candida candida quædam
N Y M P H A leget, floresq; alios intexet amorum
Signa, characteres, & dulcía vincula mentis.

Siue Amaryllis erit, siue hæc Galatea, penates
Illa colet tecum, tanto quibus atria nisu
Nunc struis, intentus cautè ad compendia mitis
Fortunæ. ô sperata Domus caput exlere latum,
Et, quùm tempus erit, cælo fastigia tolle.

*Non villa, sed illa
nobilitat*

V. I. R. T. V. S.

Voluntario Iure Regina Tuetur Volun-
tarios Subditos.



PSR ZINATMU AKADEMIA * VINDOB
1751
PUBRARIATA * VINDOB
LATVIAS